



1.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.



DISPUTATIO JURIDICA

DE

1627/6. 97.
XIIII.
DEFENSIONE
NECESSARIA.

QVAM

AUSPICE CHRISTO

PRAESIDE

CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO,


DN. SIGISMUNDO *Flach*
U. J. D. ET UNIVERSITATIS AR-
GENTORATENSIS P. P. PRÆCEPTORE
ET FAUCTORE SUO ÆTATEM
ADAMANDO:

Publicæ ventilationi subjiciet

JOANNES FRIDERICUS LOHET
Stutgardianus.

Ad diem Septemb.

IN AUDITORIO MAIORI.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPII.

ANNO M. DC. XXVII.



ILLUSTRISS. ET SERENISS.
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

JOANNI FRIDERICO,
DUCI VVIRTEMBERGENSI ET
TECCENSI, COMITI MONTISBELGARDENSI,
DOMINO IN HAIDENHEIM &c. Do-
MINO SUO CLEMEN-
TISSIMO.

*Theses hasce Juridicas humilimè
dedicat & consecrat*

JOHANNES FRIDERICUS LOHET
Stutgardianus. A. & R.



Cum Imperatore Justiniano nostro
IN NOMINE DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.

*Omnes labores suscipimus l. 2. in pr. C. de Offic.
Præf. Prator. Aff.*

T H E S I S I.



Uanquam tralatitium istud diverbiali schemate nobilitatū, HOMINEM HOMINIS DEUM ESSE DEBERE doceat; attamen, proh dolor, hisce exulceratissimis lubricæ senectæ hujus temporibus contrarium, HOMINEM HOMINIS ESSE DIABOLUM, magis praticari, cottidiana clamat experientia. Ut enim Pilatinus lacus in Helvetia ejus naturæ esse fertur, ut si quid in aquas illius proiciatur, statim cœlum in atras coëat nubes, grandinis, fulminum ac nimborum fragore horrendum detonet, cum vicinæ damno ac tremore: Sic eheu! plerique mortalium, quisquiliis, tricis, & si quid vilius istis, offensas, aut potius offensiunculas captantes, aut etiam si verbum aliquod audacius prolatum, aut vitium etiam non fictum objectum est, extemplò sub specie & prætextu famæ, honorisve defendendi in duella prouunt, periculum facturi, uter citius alterius animam elidere & orco oppignorare possit. Ast quoniam hominum malitiis non indulgendum (a) sed iis in quantū potest, obviandum (b) propositis breviter necessariæ defensionis naturâ & requisitis, videamus, quàm falsò permulti hoc prætextu abutantur, & quomodo vultures istos vitæ

A 2

& fa-

& famæ nostræ, haud Christiano, sed diabolico more, præ-
dæ instar, inhiantes avertere, telaque eorum justè excipere
queamus.

(a) *l. in fundo 38. ff. de rei vindic. l. si cui 9. ff. de servit. Gail.
lib. 1. obs. 31. n. 4.* (b) *l. item si 7. §. mutui dationem 3. ff. ad S. Ctum
Maced.*

II.

De defensione igitur necessariâ, vulgò
ein Nothwehr acturus à definitione primor-
diû capiam, cujus prima cura in omni tra-
ctatione esse debet. (a) Est itaque instantis
vel jam illatæ vis atque injuriæ propulsa-
tio. (b)

(a) *Cicero 1. offic. & 2. de Finib.* (b) *l. ut vim 3. ff. de just.
& jur. l. 1. C. unde vi. Gail. lib. 2. obs. 110. n. 9. & de pac. publ. lib. 1. c. 16.
n. 5. Mar. Salom. com. in l. 3. ff. de just. & jur. n. 2. D. Obrecht. in tract.
de necessar. defens. c. 4. n. 1.*

III.

Ex jure autem naturali descendit ea vis
atque injuriæ propulsatio; (a) approbatur
quoque jure Divino (b) Civili (c) ac Cano-
nico (d) cum omnia jura defensionem et-
iam cū internecone vel debilitatione ag-
gressoris permittant. (e)

(a) *l. itaque si servum 4. ff. ad L. Aquil. l. si quadrupes 1. §.
cum arietes 11. ff. si quadr. paup. fec. dic. l. 1. §. vim vi ff. de vi & vi
armat. c. jus naturale distinct. 1. Dn. D. Harpp. Præcept. fidelis ad §.
item lex Corn. 5. Inst. de publ. jud. n. 112. quæ brutis cum homi-
nibus communis est l. 1. §. vim vi ff. de vi & vi arm. Dn. D. Eras.
Vngepaur. Præcept. in Univers. Alt dorff. fidelis. exercit. 2. q. 1. Prin-
cipio*

cipio enim omni animantium generi à naturâ tributum est, ut vitam defendant, quò respexit *Propert. 2. eleg. 51.* dicens,

Non solùm taurus ferit uncis cornibus hostem ;

Verùm etiam instanti læsa repugnat ovis.

(b) *Exod. 22. vers. 2.* (c) *l. sed & partus. 12. §. quæri poterit. 1. ff. quod met. caus. l. is qui aggressorem 2. C. ad l. Corn. de sic. l. 3. §. eum igitur 9. ff. de vi & vi arm.* (d) *c. dilecto de sent. excomm. in 6. c. interfecisti 2. de homicid. casual. & volunt.* (e) *l. scientiam 45. §. qui cū aliter 4. ff. ad L. Aquil. c. significasti 18. in fin. extr. de homicid. Cujac. lib. 5. obs. c. 18. consentit Constit. Crim. Car. V. art. 139. dicens, welcher ein rechte Nothwehr zu errettung seines Leibs oder Lebens thut / vnd den jenigen der ihne also benöthiget / in solcher Nothwehr entleibet / der ist darumb niemand nichts schuldig.*

I V.

Cū igitur vim vi repellere omnes leges permittant. (a) Quæritur, An peccet, qui mavult occumbere, quàm se defendēdo aggressorem trucidare. (b)

(a) Affirmat præter supra in th. 3. allegatas *ll. Dn. D. Bocer. Præcept fidelis. in suo tr. de duell. libr. 2. c. 10. n. 15. Gail. lib. 1. de pac. publ. c. 16. n. 7. D. Obrech. de defens. necess. c. 1. n. 23. & seqq. Hipp. de Mars. in l. 1. in pr. ff. ad L. Corn. de sicar.* (b) Quamvis reperiantur nonnulli, contendentes, satius esse succumbere, quàm alium occidere, *Franciscus Victoria, Augustinus de Ancona*, quibus ad stipulari videtur *D. Hieronymus in c. nostrum 23 q. 5. dicens, Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter accipere.* Attamen horum opinionem carbone notantes placent *D. Obrecht in tractat. de necess. defens. c. 1. n. 23. Francisc. Zoann. part. 1. n. 3. Paul. de Castr. in talia verba erumpentes; Nisi corpus nostrum tueremur eum posse-*

possemus, perinde est ac si nobis ipsis vim intuliffemus.
*Mar. Salom. in l. ut vim vi 3. ff. de Iust. & jur. n. 15. Prosper. Farinac.
in prax. sua crim. quest. 125. tit. 14. ampliati. 11. n. 23.*

V.

Supra monstravimus iniuriæ propulsa-
tionem ex iure naturali descendere, ideo-
que omnibus (a) contra omnes (b) omni die
& loco (c) competere, indubitati iuris est.

(a) Quod vocabulum **QUI S Q U E** indicat, *Bocer. Præ-
cept. in Univers. Tubing. fidelis. in suo tract. de bell. & duell. libr. 2.
c. 10 n. 17.* vocabulo **QUI S Q U E** enim omnes significantur *l.
hoc articulo 29. ff. de hered. institut. l. si necessarias 8. §. si annua 3. ibi
omnes pensiones ff. de pign. act.* Etiam Apostolis, Monachis,
Clericis. *Clem. unic. de homicid. ad eò, ut sacra peragens, possit
insidiatorem trucidare, & postea ad omnia sacra reverti.
Hipp. in prax. crim. §. quoniam n. 75. Ioann. de Lign. in tract. de bello
c. sicut dignum n. 14 de homicid. Francisc. Zoann. de trip. defens p. 1.
n. 12.* (b) etiam Clericos, Sacerdotes, Cardinales, *Gometz.
tom. 3. c. 3. n. 20. c. si vero extr. de sent. excomm. Panorm. in c. vero
n. 11. de pæn. & occidens Clericum excommunicationem
non incurrit c. si vero 3. de sent. excomm. Gometz. tom. 3. c. 3. n. 20.
D. Obrecht. de necess. defens. c. 6. n. 4.* non solum adversus vigi-
lantes sed etiam dormientes, *Dec. in l. ut vim vi 3. ff. de just. &
jur. n. 29. Gometz. tom. 3. c. 3. n. 20.* etiam contra furiosos, *Bald.
in l. 1. C. unde vi n. 50. Hipp. de Mars. in l. 1. ff. ad L. Corn. de sicar. n.
49. Dec. in d. l. 3. ff. de just. & jur. n. 29. D. Obrecht. de necess. defens. c.
6. n. 56.* (c) *l. pen. in fin. ff. de requir. Reis vel abs. damn. l. unius fa-
cinoris 18. §. cogniturum 9 ff. de quest. 1. Maccab. 2. vers. 41 König. in
præfat. process. Panorm. in c. Clerici de vita & hon. Cler.*

VI.

An Principi (a) vel Magistratui (b) vim
ten-

700
intentanti resistere, & contra illum se defendere quis possit, ardua quæstionis est.

(a) Verius videtur προσωποληψίαν hîc minimè observandam, cùm juris autoritate occidens factum suum possit tueri, nec peccasse videatur *Barthol. Romulei. in comm. ad d. l. ut vim vi 3. ff. de just. & jur. part. 1. n. 27. Francisc. Zoann. de tripart. defens. part. 3. n. 32. D. Obrech. de necess. defens. c. 6. n. 6.* attem reverentia, quæ Principi debetur, omnes vias, modos, media, nempe fugam, clamores, &c. ad declinationem periculi excogitandos esse, admonebit, cum grave sit, tali sanguine se maculare. (b) si scilicet cancellos officii de facto transgrediatur, repagula officii ac modestiæ effringat. *l. nec magistratus 32 ff. de injur. l. prohibitum est 5. C. de jur. fisci. Mynscent. 5. obs. 18. Romulei. in d. l. 3 ff. de just. & jur. part. 1. n. 30. D. Obrecht. de necess. defens. c. 6. n. 9.*

VII.

Cùm olim effectus patriæ potestatis ad eò fuerit extensus, ut parentes vitæ necisque potestatem in filios haberent, (a) Quæritur, An Patri modum castigationis excedenti, Filius impunè resistere ac contra illū se defendere possit. (b)

(a) *l. in suis 11. in fin. ff. de lib. & posth. l. libertati 10. C. de patr. potest.* sed hanc potestatem nimis rigidā coarctarunt Imppp. in *l. in auditum 2. ff. ad L. Corn. de sicar.* cū potestas paterna in pietate non in atrocitate consistere debeat. *l. divus 5. ff. ad L. Pomp. de parricid.* & licet potestatem hanc veteres Romani dederint, nō ut patres abuterentur dederunt, sed ut liberi metu ejus deterriti, in officio eò melius continerentur

Hali-

carn. lib. 2. c. 4. ideoque hodiè acerbè puniuntur, qui filios suos occiderunt. *l. unic. C. de his, qui parent. vel liber. occid.* etiam si justo dolore id fecerint *l. divus 5. ff. ad L. Pom. de parric.* (b) Negat *Jacob. Novell. in tract. ad defens. n. 72. D. Val. Voltz. in comment. in tit. ff. ad L. Corn. de sicar. cap. 7. n. 23.* quos sequitur *D. Obrecht, de necess. defens. c. 6. n. 17.* Affirmant *Dd. in d. l. ut vim 3. ff. de just. & jur. Bart. n. 4 Dec. n. 22. Bald. in l. sed etsi 5. §. si magister 3. ff. ad L. Aquil.* cùm privilegia non extendenda ad eos, qui iis sunt indigni. *Petr. Duen. in tr. reg. jur. 192. limit. 3.* Filius tamen quocunque possit modo studeat iram patris lenire, si non precibus, culpæ deprecatione, melioris vitæ pollicitationibus, si non hisce, clamoribus vel fugâ sibi cōsulat, cùm illa filio non sit ignominiosa, unde *Claud. Seyfell. in d. l. 3. ff. de just. & jur. n. 99.* Fuga, inquit, liberis potius reputatur ad modestiam & virtutem, quàm ad ignominiam & dedecus. Etsi non nisi morte patris mortem suam evitare possit, tum filium parricidii poenâ non teneri communiter receptum esse testatur. *D. Obrecht. d. loc.*

V I I I.

Ut Patri, ita & Marito modica erga Uxorem castigatio permessa est.

Gen. 3. v. 16. Ubi Deus OPT. MAX. ad Evam; sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi, *Paul. ad Ephes. 5.* Mulieres subditæ viris vestris sitis, & *in c. mulierem, ibi,* subiectam viri dominio esse *33. q. 5.* Verùm enim verò cum verbera ejusmodi ingenuis minimè convenient *l. consensu 8. §. si qua igitur 2. C. de repud.* dubitatum se vidisse scribit de marito, qui uxorem baculo percusserat, *Alciat. in præfat. reg. 1. 3.* sed tamen pro gravitate commisi fustes, & flagella correctioni maritali permessa videntur. *Novell. 117. cap. si quis 14.* Unde & Salomon mulierum amantissimus, correctioni uxoriæ baculum permittit. *Chrysof. homil. 26.* attamen non admit-

admittimus, nisi modus observetur secundum Apost. qui maritos jubet uxoribus cohabitare secundum scientiam. 1. Petr. c. 3. ideoque consultius verbis, quam verberibus, blanditiis, quam sævitiis emendationem suscipere *Plut. in leg. connub.* Meminisse autem debent mulieres, tum verbera à maritis fore aliena, cum earum ora à malis verbis aliena fuerint, si itaque malorum verborum finem non adhibuerint, mirum videri non poterit, si mariti ora earum manibus cohibuerint. *D. Valent. Voltz. in com. in tit. ff. ad L. Corn. de sic. cap. 7. n. 69.* Verbera enim nimia plerunque elephantinum corium inducere, & callo morum pravitatem munire, neque iis emendari, sed deteriores mulieres reddi solent *Tiraquell. lib. 9. leg. Conn. n. 229.* Arripiendum igitur potius Bernardi remedium, *Epist. ad Raym. de re famil. ubi inquit,* uxorem risu potius, quam baculo castigabis. Quod si mariti non teneant modum, licite uxores se illis opponere posse, affirmant *Luc. de penn. in l. quicumque 10. C. de re milit. col. 3. Iason in l. miles 6. §. qui judicati. 2. ff. de re judic. n. 7.* potest autem etiam talis mariti sævitia coerceri squalore carceris donec ad frugem redeat. *Schônborn. lib. 1. politic. c. 6.*

IX.

Id quoque obtinebit in Præceptore erga discipulum (a) in domino erga servum (b) si modum castigandi non excedant.

(a) Hi se illis opponere nequeunt, si modicam castigatione utantur, quæ illis permessa *l. item queritur 13. §. Iulianus 4. ff. locati l. sed et si 5. §. fin. ff. ad L. Aquil. l. aut facta 10. §. causa 2. ff. de pæn. si verò limites officii transiliant, rectè illis resistitur, cum nimia sævitia culpæ adnumeretur l. 6. ff. ad L. Aquil. Romulei in comm. ad d. l. ut vim vi 3. ff. de just. & jur. n. 312.* (b) li-

B

cet

25
cet prioribus temporibus domini vitæ necisque potesta-
tem in servos habuerint, § *sed hoc tempore 2. Inst. de his qui sui*
vel al. jur. attamen cum constitutione divi Antonini hoc
jus correctum sit *d. §. sed hoc tempore 2.* modica tantum casti-
gatio dominis permessa est, *alleg. loco & l. unic. C. de emend.*
serv. si itaque nimium favere domini in servos conentur,
merito illis cum Romulejo, *part. 1. n. 71.* resistantiam con-
cedimus, dicente, si dominorum gravis offensio est illicita,
famulorum e contrario inculpata defensio licita existet. Si
igitur ab illis, quib. reverentiã debemus corporis periculũ
immineat, postposita omni reverentia, jure nos defendi-
mus, & siquidem armis nos petant, armis sunt repellendi.
Romulej d. tract. in l. 3. ff. de just. & jur. part. 1. n. 71. Idque multo
magis in famulis & ministris nostri seculi obtinet. *Dn. D.*
Obrecht. tr. de necess. defens. c. 6. n. 24. & seqq.

X.

Pudorem illibatum conservare præci-
pua honestæ vitæ pars est, Ideoque violen-
ter castra pudicitie dissipare attentans vel
ab ipsa patiente (a) ejusque viro (b) vel et-
iam sponso impune transigi potest. (c)

(a) *l. 1. §. divus 4. ff. ad L. Corn. de sicar.* cum honestam
vitam amittere gravius sit, quàm simpliciter vitam amit-
tere. *Paul. lib. 5. sentent. tit. ad L. Corn. de sicar.* Qui latronem,
ait, cædem sibi inferentem, aut alium quemlibet stuprum
inferentem occiderit, puniri non placuit. *Dn. D. Obrecht. de*
necess. defens. cap. 2. n. 5. Ayr. tract. de homicid. part. 1. n. 140. Nam ut
vita semel amissa recuperari nequit, *l. unic. in princ. C. de rapt.*
virg. ita

— — — nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

Qua-

Quapropter masculè Lucretia, marito quærenti, omnes res ne an salvæ essent, respondit; Quid enim salvi mulieri esse potest a missâ pudicitia? (b) Injuriâ n. non solum uxor, sed & maritus afficitur, §. *patitur autem 2. Inst. de injur.* unde etiâ maritus adulterum occidere potest *l. marito 24. ff. ad L. Iul. de adult. auth. si quis ei C. ad L. Iul. de adult. D. Obrecht. de necess. defens. c. 2. n. 7. Nevizan. in sylv. nupt. lib. 1. n. 83. Roderic. Soarez. lib. conclus. controvers. conclus. 46.* consentit quoque constit. crim. Caroli V. art. 150. Da einer einen unkeuscher werck halben / die er mit seinem Ehe weib übet / entleibet / solle entschuldiget sein / so ordentlicher weiß gehandelt wird. Quia probrosum ipsi foret, si adulterum cum uxore relinquat *arg. l. miles, 11. §. socer. 3. ff. ad L. Iul. de adult.* & quasi leno haberetur *l. ex lege 2. §. lenocinii 2. ff. ad L. Iul. de adulter. qui turpitudinis nota deformatur l. 1. l. 4. §. ait prator 3. ff. de his qui notant. infam.* quamvis uxorem alterius concubitum patiando, non liceat marito occidere. *l. nec in ea 22. §. ideò autem 4. ff. ad L. Iul. de adult.* tamen quia uxor injuriam viro, domique suæ infert non modicam *l. si maritus sit 15. §. lex Julia 6. & l. si miles 11. §. socer. 3. ff. eod.* & ob id maritus tantum dolorem haud dubiè concipit, quàm nemo alius *l. 2. §. fin. ff. eod.* Ideo, inquam, si maritus uxorem in adulterio compertam confestim interimat, non punitur ut cæteri homicidæ *L. Cornelia de sicariis poena, cùm difficillimū sit justum temperare dolorem l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad L. Iul. de adult.* (c) Prædicta quoque obtinent in sponsa *l. item apud labeonem 15. §. sponsum quoque 24. ff. de injur.* & multa quæ in jure nostro de uxore dicuntur, in sponsa quoque locum habent, nam & in illam adulterium committitur *l. si uxor 13. §. Divi Severus 4. l. miles 11. §. querebatur 7. ff. ad L. Iul. de adult. l. propter 7. ibi, nisi puella violata sponsa ejus fuerit C. ad L. Iul. de adult. & sponsus mariti jure utitur l. si sponsa 74. ff. de jur. dot. l. item apud 15. §. sponsum 19. ff. de injur.* & quemadmodum propter adulterium matrimonia, ita propter fornicationem

nem sponsalia solvuntur. c. quemadmodum ubi DD. Extr. de
jurejur. Mozzius tractat. de nupt. tit. quemadmodum solvuntur
sponsalia n. 9. confirmatur hoc quoque autoritate juris Di-
vini, quod eadem poenâ cōcubitum cum alterius sponsâ
punit, quâ concubitum cum alienâ uxore Deut. c. 22. v. 23.

XI.

Cùm bona fama sit thesaurus inæstima-
bilis, & sicut lilium det suavitatem odoris
Damboud in prax. crim. c. 76. n. 30. Quæritur,
An pro illâ conservandâ liceat convitiato-
rem occidere.

Affirmantium castra subeunt *Bart. in l. 3. in fin. ff. de just.
& jur. & ibi Iason n. 10. Bald. in l. 1. C. unde vi. Dec. consil. 687. n. 8.
Iul. Clar. lib. 5. sent. 5. homicidium n. 26. Vasq. libr. 1. controvers.
illustr. c. 18. n. 13. Gail. lib. 2. obs. 100. n. 7. Romulei in tractat. ad defens.
part. 1. n. 38. Ayrex. in tract. de homicid. part. 1. n. 88. V. Vesenb. consil.
19. n. 5.* Contraria tamen sententia veritati magis consona
videtur, cùm vindicta potiùs, quàm defensio sit nuncu-
panda. *Elias Rober. disp. 1. th. 6. Matthias Stephanicent. 1. quest. 9.
Francisc. Zoanv. de tripart. defens. part. 1. n. 54. Dn. D. Obrecht. de
necess. defens. c. 9. n. 7.* Quos sequitur *Dn. D. Bocer tract. de bell. &
duell. lib. 2. c. 8. n. 14.* Cum eò, inquit, spectent illi, & jura nostra
hoc velint, ut Respublica hominumque vita quieta &
tranquilla sit, non permittitur ei, qui verbali injuriâ affe-
ctus, ut injuriantem ad arma provocet; sed magistratum
armis decorant, ut is per legitimos tramites calumnian-
tium iniquitates expellat, *proem. Inst. in fin. princ.* Et quos
Magistratus suâ potest componere jurisdictione, eos ad
arma procedere pati non debet. *Alciat. lib. de sing. certam. c. 3.
Cujac. lib. 5. obs. c. 18.* Quamvis *Salomon.* distinctionem inter
Nobiles & plebeios afferat, innuens, Nullam verbalem
defen-

103
defensionem cum eo esse, cui par contumelia referri non
possit; nisi fortè ejus maledicentia malè vapulando retun-
datur. *in l. 3. ff. de I. & I. n. 4.* quod tamen nō est admittendū.
Cū enim alii defendendæ famæ & existimationis modi
superfint, non est ad violentam defensionem pervenien-
dum. *l. scientiam 45. §. qui cum aliter 4. ff. ad L. Aquil.*

XII.

Proprii corporis defensione probatâ, de
aliarum personarum defensione paucula
edisseremus, quæ sunt vel necessariæ vel ex-
tranæ. Sed ut membratim rem pertracte-
mus, videbimus an Pater filium, (a) & è con-
trâ; (b) maritus uxorem, (c) & è contrâ; (d)
sponsus sponfam, (e) & è contrâ; (f) frater
fratrem (g) cōsanguineus consanguineum
(h) defendere debeat.

(a) Suadet hoc naturalis ratio; cum brutis id sit indi-
tū à naturâ, ut pro catulis suis mirificè digladiantur, ut Vr-
forum exemplo (licet feritate cæteras superent belluas) vi-
dere est, *1. Reg. c. 17.* Amaro animo, veluti si ursa raptis catulis
sæviat. & *Osea 13.* Occurram eis quasi ursa raptis catulis. *l. isti
quidem 8. §. fin. ff. quod met. caus. Jul. Clar. lib. 5. sentent. §. homici-
dium n. 27.* *Georg. Obrecht. de necess. defens. c. 7. n. 10.* In filio salva-
tur Pater, & paterni nominis diuturnitas conservatur *l. li-
berorum 220. §. præter 3. in fin. ff. de V. S.* eadem quoque Perso-
na cum Patre judicatur *l. si quis duobus C. de impub. & al. sub-
stit. & nullus est affectus qui vincat paternum. l. isti quidem
8. in fin. ff. quod met. caus. & Filius est quasi portio Patris.
Quod etiam attestantur DD. Bald. n. 5. Iason. n. 2. in l. etiam 5.
n. 28. C. de execut. rei judic. Hipp. de Mars. in l. 2. n. 2. & seqq. ff. ad*

B &

L. Corn.

L. Corn. de sicar. Weserb. consil. 50. n. 22. Procedit quoque in naturalibus & illegitimis, quia natura communis est *l. hos accusare 12. §. fin. ff. de accus.* nec potest constitutio naturam immutare, nec coarctare naturales stimulos *l. amicissimos 36. §. Lucius. 1. ff. de excusat. l. amplius 3. ff. de liber. caus.* (b) Quod de Parentibus est dictum, in filiis quoque locum habet, quia correlativorum eadem est natura, & quicquid in uno dispositum est, dispositum quoque est in altero. *l. 41. ff. de R. I. l. legem. 3. C. de indict. viduit. & injuria Patri facta, filio quoque facta censetur. l. 1. §. etsi forte 4. & 5 ff. de injur. Bart. in l. si quis. 1. C. de Cupress. Hipp. de Mars in l. si quis viduam. 5. n. 21. ff. de quest.* (c) Quod de Patre & Filio, idem quoque de Marito & cōjuge DD. affirmant. *D. Obrech. de necess. defens. c. 7 n. 18.* cum sit inter maritum & uxorem maxima affectio, & sint duo in carne una *Matth. 19. v. 6. 1. Marci 10. v. 8. & 9.* Vnde Euripides scitè sic scribit: *Æqualem calamitatem viri esse judico liberis privari & uxore sedula.* (d) Num etiam virum uxor tutabitur? Aff. Quamvis ejus defensio in jure judiciorum reiciatur, cum defendere sit munus virile *l. alienam. 18. C. de procur. l. fœminæ fin. ff. de tutel. & fœminæ ab officiis virilibus remotæ sunt l. fœm. 2. ff. de R. I. & cū de deceat quoque viros ab uxoribus defendi §. patitur. 2. Inst. de injur.* attamen cum exigat necessitas, marito in discrimine vitæ versanti subveniet justissimè *arg. l. fœminas 41. ff. de procur. l. amplius. 3. §. cū verò 2 ff. de liberal. caus.* Porro cur non liceret uxori maritum defendere, cū sint duo in carne una *Matth. 19. v. 6.* (e) Quæ diximus marito esse concessa in defendenda uxore, ea & Sponso pro tutela Sponsæ, & e contra nequaquam sunt deneganda propter Zeli & amoris inter ipsos flagrantis magnitudinem, quæ alter alteri sic connectitur non secus, quàm si maritali copulâ jam essent conjuncti *l. oratio 16. ff. de Sponsal.* (f) valida sunt argumenta pro Sponsa, quæ pro uxore allata sunt, quia validum

dum est de uxore ad Sponsam ductum argumentum *l. non sine s. C. de bon. qua lib.* (g) Fratres quoque sibi invicem pro tutela opem ferre debent, quare Xenophon existimat, illum, qui fratri providet, seipsum curare. Idcirco & frater fratris sui impuberis fiduciaris tutor dici videtur. *Inst. de fiduc. tut.* Huc quoque facit *l. 1. §. 2. l. amplius 3. §. cum verò 2. ibi, vel sororibus ff. de liberali caus.* & concordat *Peinlich Halsgerichts Ordnung. articul. 150.* Item so eis ner zur rettung eines andern Leib oder Leben jemand erschlägt / solle entschuldiget sein / so darinn ordentlich gehandelt wird. (h) Vni cognatorum injuria illata, omnibus illata censetur *Bart. in l. Lex Cornelia s. ff. de injur. Bald. in l. unic. col. 2. num. 2. C. de rapt. virg. Alex. consil. 24. n. 19. volum. 2. Jodoc. Damhoud. in prax. crim. cap. 67. num. 18. idemque & horum defensionem, modo absque periculo vitæ fieri possit, suscipere tenemur. argum. l. 3. de iust. & jur. l. 50. ff. de R. I. l. scientiam 45. princ. ff. ad L. Aquil. Harppr. Præcept. fideliss. in §. 5. Inst. de Publ. Jud. num. 96.*

XIII.

An idem quoque de Extraneis sentien-
dum.

Simpliciter negant *Bart. Ang. Iason. in l. ut vim vi 3. ff. de I. & I. Clar. lib. 5. sentent. §. fin. num. 3. quos sequitur Matth. Stephan. cent. 1. questio. 12.* Alii affirmant ducti lege naturæ, quæ ad omnem nos adstringit charitatem, quos sequitur *Dn. D. Harppr. comment. ad §. 5. Institut. de Publ. jud. num. 131.* & æqua videtur, cum unusquisque debeat proximum suum, sicut seipsum diligere *Lev. 19. v. 18. Matth. 22. v. 39. Marc. 12. v. 31.* huc facit *c. quanta Extr. de sent. excomm. ubi dicitur, qui non repellit à socio injuriam, si potest, tam est in*

& in vitio, quàm ille qui facit; ubi quoque dicitur, illos fa-
vere alterius maleficio, qui, cum possent resistere, non
resistunt, cum omnes omninò proximi simus, & ejusdem
naturæ participes *c. charitas 5. §. proximos de pœnit. distinct. 2.*
cap. sicut dignum §. illi etiam de homicid. & qui potest libe-
rare hominem à morte, & non liberat, eum occidit. *l. 7. ff.*
de serv. export. Paulus in l. culpa 50. ff. de R. I. argumento à con-
trario sensu sumpto. Quò respicit quoque R. A. zu Nürnberg.
Anno 1522. circa fin. princip. Haben wir uns zur ret-
tung unsers Christlichen Bluts vereiniget / vnd beschlossen
vnserm Bruder dem König von Hungarn zu widerstand
des Türcken mit hülff zuerscheinen / vnd Christlichen brü-
derlichen trost zuerzeigen. Salus quoque Reipubl. postulat,
ut quilibet periclitanti succurrat, quò Solon respexit, Bea-
tam, *dictitans*, esse Rempublicā, in qua quisq; alterius in-
juriā suam æstimaret. Quæ omnia procedunt, si defensio
absq; vitæ periculo fieri possit, cum ordinata charitas in-
cipiat à se ipsā, *arg. l. praeses 6. C. de servit. & aq. & nemo se præ-*
senti periculo exponere cogatur l. si pater 34. §. 1. ff. de do-
nat.

XIV.

A personis igitur ad res rectè progredi-
mur, quærentes, an & pro illarum defensio-
ne in vasorem interficere liceat.

Bona nostra cum alterius internecone, etiam in con-
scientiæ foro, defendere fas esse, primus autor Accurs. sta-
tuit: qui legē nostram tantum de corporis tutelâ loquen-
tem etiam ad rerū defensionem extendit; motus per *l. quod*
est 3. §. eum igitur 9. ff. de vi & vi arm. & per l. rectè possi-
denti 1. C. unde vi. cuius opinionem sequitur fermè tota Dd.
Caterva, Bart. n. 2. ad L. Corn. de sicar. Carer. in pract. crim. rubric.
de ho-

de homicid § 6 n. 29. Decius in l. 3. ff. de I. & I. n. 31. Hipp. de Marf. n. 5. ff. ad l. Iul. vi publ. Ayrrer part. 1. de homicid. n. 156. Sed hanc DD. opinionem rectè improbavit primus Coryphæus Pannorm. in c. 2. v. si autem, ibi, te tuaq; liberando, extr. de homicid. quem sequitur Baldus, dum dicit, licitum esse pro rerum defensione capere aggressorem, non autem occidere, sed ad Judicem ducere. Romulei. part. 1. n. 96. Francisc. Zoann. de tripart defens. part. 1. n. 36. Didac. Covarr. in Clem. unic. §. 1. n. 6. de homicid. Quam opinionem ut æquissimam rectâ judicii lance perpendendo amplexus quoque est Dn. D. Obrecht. in tr. de necess. defens. c. 8. num. 8. Durum, inquit, inter rerum & hominum defensionem nullam esse differentiam; Nam vita hominis, nisi in continenti defendatur, semel amissa recuperari nequit, at res ablata actionibus & interdictis repeti possunt. Cui ad stipulatur Dn. D. Bocerus in Academ. Tubing. Præcept. fideliss. in tract. de bell. & duell. lib. 2. c. 9. n. 2. dicens, Vita etiam pretiosissimis rebus est præferenda. & Dn. D. Harppr. in comm. ad §. 5. Inst. de publ. jud. n. 182. Nec constituimus secundum DD. quosdam discrimen inter res viles & pretiosas, quia etiam res pretiosissimæ ad vitam hominis collatæ sunt vilissimæ, cum iniquum sit, vitam hominis, pro qua Christus est mortuus, tam vili pretio æstimare. Nec furem equo surrepto insidentem & fugientem sagittâ aut globo tormentario ad recuperandum equum transfigere licet, etsi eum aliter recuperare non possimus. Dn. D. Harppr. in §. 5. Inst. de publ. jud. n. 182. Quo respexit & Pontifex in c. suscepimus Extr. de homicid. innuens; Expedire potius tunicam & pallium relinquere, rerumque jacturam pati, quàm pro vilibus rebus ita nos excandescere, ut aliquem occidamus, cum præsertim alia ad recuperandas res extent remedia, quæ recenset Romulei. in suo tr. in l. 3. ff. de I. & I. part. 1. n. 102. prohibitum quoque sit legibus, ne quis in causâ suâ judex existat l. unic. C. ne quis in sua causa. alio-

C

quin

quin hominem occidens esset occidendus, si aliter sibi
providere potuisset.

XV.

Nemo igitur vim, & injuriam ferre cogitur, sed eam propulsare potest modò inculpatæ tutelæ moderamen non excedat.

Necesse igitur est, ut adhibeatur I. Modus, ita, ut si armis vis inferatur, armis propulsetur, si sine armis, inermis se defendat. *gloss. in l. rectè possidenti. in verbo moderamine C. unde vi. Damhoud. in prax. Crim. c. 76. n. 14.* Quod tamen non procedit si aggressor plus possit cum pugna, quàm alter cum ense, & aliter evadere nequeat, *Paul. in l. scientiam 45. §. qui cum aliter 4. in princ. ff. ad L. Aquil. Dn. D. Bocerius in tract. de bell. & duell. lib. 2. cap. 10. n. 87.* II. Tempus, ut fiat in continenti, *in frischer that / vnd wehrendem kâmpffen / non interveniente actu extraneo Dn. D. Obricht. cap. 10. n. 4.* Quod in defensione rerum, quanto tempore includendum sit, arbitrio judicis esse relinquendum, docet *Bart. in l. continuus 137. in pr. ff. de Verb. Oblig. l. quod est 3. §. 8. & 9. ff. de vi & vi arm. l. 6. §. 1. l. 18. §. pen. l. 25. §. ult. l. 46. ff. de acquir. possess. & considerandam qualitatem dejectionis, deicientis, & rei invasæ docet *Gail. lib. 1. de pac. publ. cap. 16. n. 11. & seqq. Dn. D. Bocerius Præcept. fideliss. in suo tr. de bello est duell. libr. 2. c. 9. per totum* III. Causa, ut propulsatio ad defensionem non ad vindictam fiat, quæ nemini privata autoritate permittitur, *l. nullus 14. C. de Judais. l. scientiam 45. §. qui cum aliter 4. ff. ad L. Aquil. text. in l. unis. C. ne quis in sua causa Jud.* Vera itaque causa est, ut tanta sit repulsio, quanta est defensionis necessitas. Vnde si quis aggressorem pugnis vel ictibus læsum, aut prosternendo in terram, cohibere atque ita occisio-*

cisionem sui evitare valeat, tunc aggressorem licitè occi-
 dere non potest. Quia in moderata defensione non oportet quem plus facere, quàm ad defensionem necessarium est; Et si quis prosternendo adversarium in terram se liberare poterit, & occidit, moderamen excedit, quia vindictæ non defensionis causa fecisse dicitur. *d.l. scientiam 45. §. 4 ff ad L. aquil. Ayr in suo tract. de homicid part. 1. n. 391.* Hoc autem moderamen inculpatæ tutelæ contra quosdam non tam præcisè observatur, veluti contra publicos latrones, fures nocturnos, depopulatores agrorum, vel militiæ desertores *l. 1. & 2. C. quand. lice. sin. jud. se vind.* vel proditores patriæ *l. minime 35. ff. de rel. & sumpt. fune.* vel bannitos sive proscriptos ob delictum aliquod *Cammergerichts Ords nung. part. 2. tit. 9. §. 1. ibi, Sollen des/ oder derselben leib vnd gut allermänniglichen erlaubt sein / vnnnd niemand das ran freveln/ oder verhandlen fõnden/ oder mögen.* Aliàs si quis hoc moderamen in propulsandâ sibi illatâ vi & injuriâ excefferit, nõ ordinariâ *L. Corn. de sicar. poenâ,* sed extraordinem arbitrio Judicis puniendus est *Bald. in l. 1. C. unde vi, Hipp. de Mars. in pr. Crim. §. quoniam n. 86. Gail. l. 2. obs. 110. n. 15.* quia Lex Cornelia locū solūm habet in homicidio ex proposito perpetrato wo ein vorscklicher Todschlag geschehen *l. 1. C. ad L. Corn. de sicar. Decius consi. 482. Gail. lib. 2. obs. 110. n. 1. & 2.* ad stipulatur quoque *Peinlich Halsgericht ordn. art. 142. circa fin.* Nemlich ist hierinen zumercken / so einer der ersten benõthigung halben redliche vrsach zur Nothwehr gehabt / vnd doch in der that nicht alle vmbstände / die zu einer ganz entschuldigten nothwehr gehören / gehalten hette / ist noth gar eben zuermessen / wie vihl oder weniger der thãtã zur that vrsach gehabt hette / vnnnd daß fürter die straff an Leib Leben oder aber zur buess vnd besserung erkandt werde; dann die fãll gar subtile vnderscheid habẽ darnach hierin schwerer oder linder geurtheilet werden solle. *Judex igitur exploratis*

omnibus circumstantiis & conjecturis id æstimare debet.
*Bart. in l. quod est 3. §. eum igitur 9. ff. de vi & vi arm. Voltz. in suo
comment. ad tit. ff. ad l. Corn. de sicar. cap. 7. n. 2. 3. 4. 5. Dn. D.
Obrecht. de necess. defens. c. 11. n. 73. Dn. D. Bocer. de bell. & duell.
lib. 2. cap. 10. n. 59.*

XVI.

Nec primum ictum quis expectare
tenetur.

Observandum esse Proverbium illud *Dn. D. Harppr.
in comm. ad §. item lex Cornelia 5. Inst. de publ. jud. n. 115. Melius
esse prævenire quàm præveniri, admonet: & primum i-
ctum non esse expectandum docet Cæpoll. consil. 28. n. 10. Hipp.
de Mars consil. 73. n. 44. Boer. decis. 104. n. 3. Ratio est, quod pri-
mo ictu perire, aut periculose vulnerari quis possit, ut am-
plius se defendere nequeat, *Dn. D. Bocer. in tr. de bell. & duell.
lib. 2. c. 10. n. 40. Dn. D. Harpprecht comment. ad §. 5. Inst. de publ. jud.
n. 116. Potest igitur insultandus si viderit arma in se stringi,
sibi in tempore prospicere l. sed etsi 5. in pr. ff. ad l. Aquil. l. 3. ibi,
ad se venietem l. 4. ibi, inferenda cadis C. ad l. Corn. de sicar. Me-
lius enim est in tempore occurrere, quàm post exitum re-
medium quærere l. qui. C. quibus caus. in integr. restit. l. 1. C.
quand. lic. unic. sin. jud. se vind. concordat quoque Peinlich
Halsgerichts ordnung. art. 140. Ist auch mit seiner gegen-
wehr / bis er geschlagen würdt / zuwarten nicht schuldig. &c.
& sufficiunt minæ ac armorum terror l. sed etsi quemcumq. 5.
ff. ad l. Aquil. l. quod & si quis 3. §. qui armati 3. ff. de vi & vi arm.
Joseph. Mascard. de probat. vol. 1. conclus. 489. n. 3. Jul. Clar. lib. 1.
sentent. §. homicidium n. 33. VVesenb. consil. 19. n. 5. Quod tamen
non ita accipiendum est, ut, si quis simpliciter tibi eadem
minatur, æquum videatur, ut eum statim vi occidas (quia
nulla.**

nulla adhuc est vera offensio, minæ enim nihil aliud sunt
 quàm verba, & verba non verberibus sed verbis sunt re-
 pellenda) sed ut *Bart.* asserit, manifesta signa accedant,
 actusque manifesti, quod te fuerit percussurus, ut si mina-
 ci animo sagittas è pharetrâ depromat, è theca bombardã
 eximat, gladium arripiat, lapides tangat, tunc antequam
 arcum incurvet, sagittamq; adaptet, bombardã antequam
 globulos exspuat, antequam gladium denudet, brachiũ
 tollat, *arg l. itaq; si 4. l. sed et sis. pr. ff. ad L. Aquil. l. si quis percusso-*
rem 3. C. ad L. Corn. de sicar. defensiollicita est, l. is qui aggresso-
rem 2. C. ad l. Corn. de sicar. Ubicumque enim Cunctatio pe-
 riculosa est, justũ est ut prævenias, monent *Imp. Theodos. &*
Arcad. in l. 1. C. quand. lic. unic. sin. jud. se vind. & Imp. Gord. in l. 2.
C. ad l. Corn. de sicar. generaliter ait, si quis percussorem ad se
 venientem, vel se ferro petentem, gladio repulerit, &
 occiderit, non tenetur homicidii quò facit *l. sed &*
sis. in pr. ff. ad l. Aquil. & illud Terentii in Eunuch. Act. 4.
sc. 6.

Tu quod cavere possis, stultum est admittere
 Malo ego prospicere, quàm hunc ulcisci acceptã in-
 juriã.

XVII.

Armorum quoque æqualitas haud ne-
 cessaria.

Vid. D. Obrecht. de necessar. defens. c. 10 n. 6. & c. 11. n. 6. siqui-
 dem defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur *l. si*
percussorem 3. C. ad L. Corn. de sicar. & cum jura non distin-
 guant, nec nos distinguere debemus *arg l. de pretio 8. ff. de pub-*
lic. in rem action. cùm paria arma in continenti haberi ne-
 queant, vel potius stultum sit, cùm quis firmioribus ar-
 mis se defendere possit, hisce abjectis, salutis suæ oblivisci,

C. 3. &

& immineret sic defensori magnum periculum, quin & iniquum & absurdum foret, percussoris arbitrio committere, quomodo se quis tueri debeat. Præterea, is qui impugnatur, plerunque est imparatus, & inopinato terrore ita concussus, ut quid sibi faciendum sit vix scire possit, cum è contra aggressor in omnem eventum sit paratus, *Obrecht. de necess. defens. cap. 10. n. 7. & 8.* Stultissimum insuper esset, *Justiniano teste*, cum quis expeditissime rem conficere possit, ultrò sese difficultatibus involvere §. *caeterum s. Inst. quod cum eo qui in al. pot. neg. gest. dic.* Sufficit ergò ad defensionem justam probandam adversarium cum armis venire, *per text. in l. posthumus 6. §. final. ff. de in off. testam. Jul. Clar. in §. homicidium n. 33. Bart. in l. sed et si quemcumq. n. 2 ff. ad L. Aquil. Jason in l. ut vim vi 3 ff. de iust. & iur. n. 9.* Ut si quis te ense vel pugione aggrediatur, qui illi inermis videris, cum nec enssem nec pugionem sed bombardulam in caligis occultatam habeas; si animadvertis te in discrimine vitæ versari, non immeritò poteris bombardulam arripere, & illum globulo transfigere. *Mascard. de probat. conclus. 1126. n. 37.* & hoc quod ex improvise potius casu, quàm fraude accidit, fato magis quàm noxæ imputandum erit. *l. frater vester. 1. C. ad L. Corn. de sicar.*

XVIII

Fuga quoque insultato non est arripienda:

Varia variorum Interpretum hîc extant opiniones. *Bart. in l. 1. n. 8. C. unde vi. quem secuti Angel. Salicet & alii in l. 3. ff. de iust. & iur.* Omnem esse vim propulsandam affirmant, & non fugiendam multis probat autoritatibus *Vivius decis. lib. 3. decis. 439. n. 30.* Propulsare enim & repellere vim non est fugere sed ipsa vi contrariâ vim avertere, *mit gewalt abtreiben vnd ausschlagen.* Siquidem & leges verbo

verbo

verbo PROPULSANDI permittunt venientem percussorem gladio repercutere etiam cum nece ipsius, l. 3. C. ad L. Corn. de sicar. l. ut vim vi 3. ff. de Iust. & Iur. l. 1. C. unde vi. Periculosum enim est, leporis instar fugere, nudum, ac inermem tergum præbere, cum adversarius pedum celeritate superare, & alter fugiendo fortè in lapidem impingens, facilimè cadere possit. *Francisc. Zoann. de tripart. defens part. 2. n. 20. Obrecht. c. 10. n. 13.* Tum etiam fugâ corporis vires debilitantur, & spiritus fracti admodum debiles ac manus vacillantes reddunt, quibus se defendere admodum grave fuerit, quin & stultissimum esset, illum eligere modum & viam, quæ adversario magis quàm sibi prodesset *Dn. D. Obrecht. de necessar. defens. c. 10. n. 15.* Et hæc etiam procedunt remotâ distinctione *Cyni & Bartoli* inter Nobiles & ignobiles, ita tamen, ut si quis nondū in dubio vitæ discrimine constitutus, fugâ salutis suæ sine periculo consulere queat, neque tamen fugiat, sed adversarium occidat, non innoxius habeatur. videatur *Peinlich Halsgericht ordnung Car. V. art. 142.* So fürgeben würd/ der Todtschläger were dem benöthigten wohl süglicher vnd ohne gefährlichkeit seines Lebens / Ehren vnd gutten leumuth halben entwichen / darumb die entleibung durch den Todtschläger nicht auß einer rechten entschuldigten nothwehr / sondern bößlich geschehen wehre / vnd solle darumb peinlich gestrafft werden. consentit quoque *Dn. D. Harpp. in suo tract. Crim. in §. 5. Iust. de public. jud. n. 121. & seqq.*

XIX.

Homicidium dolosum autem ordinaria L. Corneliæ poenâ plectendum esse II. tam Divinis, (a) quàm civilibus (b) convenit,

venit five unus five plures percussores sint;
(c) remoto personatam respectu (d)

(a) *Num. c. 35. v. 16. 17. & 18.* Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit, qui percussus est, reuserit homicieii, & ipse morietur. *Apocal. 13. v. 10.* Quicumque gladio occiderit, eum oportet gladio occidi. *Proverb. c. 28. v. 17.* (b) *l. 3. C. de episc. audiend. l. si quis 8. C. ad L. Corn. de sicar. §. item lex Cornelias. Inst. de public. judic. l. unic. in princ. C. de raptor. virgin. Hipp. de Mars in princ. n. 1. ff. ad l. Corn. de sicar. Covarr. lib. 2. var. resolut. cap. 9. n. 2.* consentit quoque *constit. crim. Carol. art. 137.* Ein jeder mörder oder Todtschläger wo er deshalb nicht rechtmäßige entschuldigung ausführen kan hat das leben verwürcket. (c) Nihil quoque refert, unus an plures fuerint, qui collatis signis, communicato consilio aliquem occiderint, omnes *l. Corneliae poenâ ple. Etuntur l. item Mela II. §. sed si plures 1. ff. ad l. Aquil. arg. l. 1. §. 3. ff. ad l. Corn. de sicar. Hipp. de Mars. n. 4. ff. ad l. Corn. de sicar.* Quæ sententia probatur quoque *constit. crim. Carol. art. 148.* So etliche personen mit vorgesehem vñnd vereinigtẽ willen jemand bößlich zuermorden einander beystand thun/dieselbige thäter alle haben daß Leben verwürcket. (d) Nihil interest Nobilis an plebejus quis sit. *Levit. c. 19. n. 15.* Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. *Deut. cap. 1. v. 17.* Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum, & *c. 16. v. 19.* Non accipies personam nec munera *l. 3. §. 5. ff. ad l. Corn. de sicar.* plerunque tamen ob majorum promerita, generis antiquitatem ac nobilitatem poena mitigari solet *Tiraquell. in tract. de poen. causa 13. n. 18. Covarr. c. 9. n. 4. v. 5. de quo videatur & VVesenb. in par. ff. de poen. n. 10.* Ab hac autem *l. Corneliae poena* excusantur, i. Impuberes quia innocentia consilii eos excusat *l. infans 12. ff. ad l. Corn. de sicar.* quod intelligendum de impubere doli
non

non capace *l. impuberem 23. ff. de furt.* II. Furiosi, hos fati infelicitas excusat *d. l. infans. 12. ff. ad L. Corn. de sicar.* quāvis Gometzius cōtrariū statuerit in eo, quod delinquēs possit puniri in furore ob delicta ante furorē perpetrata; quod tamē moribus nostris non observatur *Gail. lib. 2. obs. 110. n. 22.* III. Dormientes, hi enim furiosis comparantur, *text. in Clem. unic. de homicid.* si tamē sciverint se aliis in somnis periculosos esse solere de culpa eos teneri docet *Damboud. c. 84. n. 13.* si nesciverint, planè inculpati sunt, ita distinguit *Hipp. de Mars. ad l. 1. n. 64. ff. ad L. Corn. de sicar.* IV. Ebrii, si maximè non ex proposito, sed ignoratiā vini vi decepti inebrientur, & homicidium committant, tunc extraordinariè iudicis arbitrio puniuntur. *Gail. l. 2. obs. 110. n. 28.* sed si studiosè ebrietas fuerit accersita, dum quis ex consuetudine, & sciens se esse rixosum & arma sumere, inebriatur, iudicis arbitrio committendum esse videtur, qui æstimet an ordinariæ *L. Corneliae* poenæ, locus esse debeat. *Ayr. tract. de homicid. part. 2. n. 140.* V. Irati, hi quoque mitiùs puniendi sunt. *arg. l. 48. & ibi Decius ff. de R. I. si videlicet ex justa causa quis iratus fuerit. l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult. vel probari possit, quod talis fuerit ira, quæ delinquentem à mente alienaverit. Gail. lib. 2. Obs. 110. n. 35.* immodica enim ira ein vbermässiger Born. parùm abest ab infaniā. *Luc. de Penn. in l. omnes omnino 50. C. de Decurion.* VI. Quæritur, an amoris cestro percitus corrivalem occidens, *L. Corn.* poenā puniatur. *Aff. Gail. lib. 2. obs. 110. n. 23.* Quia talia homicidia ex proposito & dolo animo ac impatientia consortis fieri solent. Et hæc de defensione corporali dicta sufficiant, Animam O Sancta Trina Vnitas! Angelica caterva circumseptam, ab inferioris Draconis sævitia tuere, Nosque sub purpureo Christi vexillo militantes, cum excandescentiæ dies sonitu tubæ apparuerit, æternis beatitudinis præmijs macta,

Amen, hîc; subsistendo.

Ore tibi grates cordeq; CHRISTE, cano.

D

AD



AD

Dn. JOANNEM FRIDERICUM
LOHETTUM, CARITINUM, THESIVM DE NE-
cessaria defensione Propugnatorem, Amicum
suum haud vulgarem;

ANAGRAMMA.

JOANNES FRIDERICUS LOHETTUS CARITINUS.
IN JURIS LUSTRO VINCIT DEFENSOR ACHATES.

U T Leo magnanimus, spumanti fervidus aestu,
Concutit horrendas ore fremente jubas,

Aggrediturque ferox opus, immanique rugitu

Sævit, & immenso robore vincit hians:

Ut miles in repidus, rigidis furibundus in armis,

Vibrat à gestans tela cruenta manu,

Strenuus ad conflictum, invadit atrociter hostem,

Atque triumphali frondere cedit ovans:

Sic Friderice togate Miles, qui castra locasti

Justitia in Templo, fatidica Themidos,

Aggredere obstreperos, scutum, galeas, clypeosq;

Sacrati juris sume, resiste alacer,

Et quam vulgasti de Defensore palastram,

Fortiter impugna legibus, arma move,

Tu necede strophis, sed contra audentior ito,

Militia ostenta fortia gesta tua:

Quodque aliis monstras, quo pacto vincere possint,

Hoc idem presta, proximus ipse tibi es.

Sic tibi crescet honos prabens calcaria in altum,

Sic de te alma Themistale Anagramma dabit

IN JURIS LUSTRO VINCIT DEFENSOR ACHATES

Gloria non alio concilianda modo.

F.

Johannes Jacobus Riepp. U.J.D.

II.

A D

PRÆSTANTISSIMUM ET DO-
CTISSIMUM DOMINUM JOH. FRIDERICVMLOHET Stutgardiensem de defensione necessaria
disputantem.**T**E quoq; velle sequi Clari vestigia Patris,
JAN FRIDERICE satis nunc tua scripta probant.

Nam theses profers de defendendo disertas,

Quarum defensor doctus & acer eris.

Æmule virtutum fœlix O JAN FRIDERICE:

Pramia multa tibi Sacra Themis tribuet.

Sic possessor eris patriæ virtutis & artis,

Sic poteris Domino commodus esse tuo.

convictorem suum scripsit
Fridericus Becht Hospes Altdorffin.

III.

Decastichon ad Dn. Respondentem.

M Artis amat pullus crudâ certare palæstrâ:
Hostis adest, pugnat cominus, ense necat.

Cedit vincenti brævium: sed mersus acerbo,

Stratus humi, victus funere (turpe) jacet.

Impiger in Themidos sic tu descendis arenam:

Irruit hostis? ades; pugna cruore vacat.

Verberibus tua nec ferri defensio diris:

Squalet, at in verbis vincere ritè soles.

Laudis ad oreolam defert mox Suada Themisq;

Pergenti majus spondet in orbe decus.

In φιλoxενδίας τεκμήριον subnectebat

Joh. Ulricus Beck Stuccard. St. Ill. Pr.

W. in Ill. St. Tub.

F I N I S.

TRASSBURG, Diss., 1627-29

ULB Halle 3
004 527 275



56

1077







DISPUTATIO JURIDICA
DE
DEFENSIONE
NECESSARIA.

1627/6.
97.

QUAM
AUSPICE CHRISTO
PRAESIDE
CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO,
DN. SIGISMUNDO *Flach*
U. J. D. ET UNIVERSITATIS ARGENTORATENSIS P. P. PRÆCEPTORE
ET FAVORE SUO ÆTATEM
ADAMANDO.

Publica ventilationi subjiciet
JOANNES FRIDERICUS LOHET
Stutgardianus.

Ad diem Septemb.
IN AUDITORIO MAIORI.

ARGENTORATI.
Typis JOHANNIS REPPIL.
ANNO M. DC. XXVII.

